

(1255) 1256, gener, 3

*Pere Estruç ven a Berenguer de Jonquer el mas de Ramon de Suredes, situat a ,Quart, pel preu de 1.150 sous.*

ASD núm. 170, perg. orig., 710 x 295 mm, deteriorat.

Sit notum cunctis quod ego Petrus Strucii per me et per omnes meos presentes et futuros, non ui compulsus uel fraude aliquo [inductus, set bono animo et spon]tanea uoluntate ac nemine me cogente et ob maximam utilitatem meam uendo et cum hoc publico instrumento [omnitempore ualituro liberando trado tibi Berenga]rio de Joncherio et tuis et cui dare, uendere, stabilire seu quolibet alio modo alienare uolueris in perpetuum per franchum [et Hberum alodium, totum illum meum mansum integre] quem inhabitat per me Raimundus de Sudredis in parrochia de Quarto, cum exitibus et ingressibus et pertinenciis et tenedonibus et hominibus et feminis ibi et inde ubique commorantes et cum omnibus honoribus et possessionibus eiusdem mansa pertinentibus tam in predicta parrochia de Quarto quam in aliis lacis et parrochiis, et arboribus diuersorum generum et cum censibus et agrariis et questis et toltis et forciis et placitis et stabilimentis et seruiciis et adempramentis et cuguciis et exorchiiis et homicidiis et intestacionibus ac redemptionibus hominum et feminarum et omnium rerum dominiis et cum boschis et garris et casis et casaliciis et pratis et pascuis et deusesis et lignis et lignariis et cum omnibus aliis que dici uel nominari siue excogitari ab aliqua sapientissima persona possint que ego uel aliquis per me in predicto mansa et in omnibus hominibus et possessionibus ipsius mansi et in omnibus aliis singulis et uniuersis superius nominatis .et comprehensis et hic expressis et non expressis, habemus et habere debemus et accipimus et accipere debemus ui uel gratis, iuste uel iniuste uel alio aliquo modo uel iure. Item uendo tibi et tuis et cui uolueris:is perpetuo per franchum et liberum alodium [...] totum illum censem .X. solidorum et unius par gallinarum annuatim censuales et iura et dominia que habeo et habere et accipere debo in toto illo honore[...] et tenentur per me ulla ratione in parrochia de Quarto. Hec inquam omnia, singula et uniuersa superius nominata tibi et tuis uendo et trado in perpetuum et franchum et liberum alodium prout melius intelligi potest ad tuum tuorumque comodum et utilitatem, precio mille centum quinquaginta solidorum barcinonensium, ualente marcha argenti .LXXXVIII. solidos, de quibus recognosco me a te bene esse paccatum, renunciando excepcioni non numerate peccunie; et si amplius ualent predicta omnia dicto precio uel ualebunt, totum gratis et ex certa sciencia tibi et tuis dono donacione inter uiuos, renunciando expresse auxilio et beneficio illius legis qua deceptis ultra dimidiam iusti predi succurritur et eciam excepcioni doli et metus et accioni in factum et restitucioni in integrum et omni alii iuri et racioni pro nobis facienti. Et ideo predicta omnia de meo meorumque iure, posse et dominio traho et eicio, omnia ipsa in tuum et quorum uelis ius, posse et dominium libere et quiete peni tus transferendo irreuocabiliter cum omnibus meis locis et uocibus et iuribus et actionibus et excepcionibus meis realibus et

personalibus ac etiain uniuersis aliis ibi et inde ad me quoquo modo competentibus et competituris, mitendo inde te in presenti in corporalem et uacuam possessionem ad habendum et tenendum et omni tempore possidendum ad omnes tuas uoluntates et tuorum perpetuo faciendas pro franco et libero alodo, sine aliquo retentu quem ibi et inde non fado, omnibus meis uocibus et racionibus et omnium meorum inde perpetuo extinctis et penes te et tuos translati et remanentibus. Et conuenio tibi et tuis per me et per omnes meos predictam uendicionem omnium predictorum semper pro franco et libero alodo facere habere et tenere in pace et esse deffensor et garent contra cunctam uiuentem personam. Uerumtamen si aliquis ibi aliquid tibi uel tuis tetigerit uel forifecerit siue emparauerit aut contradixerit siue questionem uel demandam contra te uel tuos mouerit uel fecerit, ego ante ingressum litis statim promitto ante te et tuos ponere et honus et litem super me et meos recipere et totam causam ad effectum ducere a litis principio usque in finem, et seruabo inde te et tuos indempnes in curia et extra curiam et in placito et extra placitum et in iudicio et extra iudicium; uel si malueris possis causam ducere, tamen tibi et tuis super hoc electione seruata, remitendo tibi et tuis ex pacto necessitatatem denunciationis. Et si tu uel tui in propria persona causam tractare eligeritis, promitto tibi et tuis omnes missiones et expensas circa litem factas et omnia dampna restituere, siue obtineatis in causam siue subcumbatis, et quicquid et quantum de iure euinceretur et credamini tu et tui inde uestro plano uerbo sine sacramento. Et si forte racione predictorum dampnum aliquod uel grauamen siue missionem aliquam aliquo modo inde te uel tuos facere uel sustinere opportuerit, totum conuenio tibi et tuis in integrum resarcire ad uestram uoluntatem, et sitis inde crediti uestro plano uerbo sine sacramento et testium productione, et ad hec facienda et complenda obligo tibi et tuis de euictione et omni interesse me et heredes meos et successores et omnia mea bona habita et habenda ubique. Ne uero possim ego uel posssit aliqua persona nomine meo unquam contra predicta uenire uel ea que dicta sunt in totum uel in partem in irritum reuocare, omni cuilibet iuri diuino et humano, publico et priuato, canonico ac legali, communi et singulari, scripto et non scripto siue consuetudinario quantum ad hoc omnino renuncio. Et ad maiorem cautelam predictorum omnium habendam, libenti animo iuro in Deum et super sacrosancta .III.or Dei Euangelia corporaliter tacta hoc totum ut dictum est a prima linea usque ad ultimam fidèliter atendere et complere et obseruare et rata et firma habere et numquam contrauenire iure aliquo uel racione. Et ego Guilielma, uxor dicti Petri Strucii, per me et per omnes meos presentes et futuros, gratis et ex certa sciencia laudo et concedo tibi Berengario de Ioncherio predicto et tuis et cui uolueris perpetuo totam predictam uendicionem tibi de predictis omnibus a dicto marito meo Petro Strucio superius confectam et diffinio tibi et tuis perpetuo quicquid iuris in predictis omnibus tibi uenditis habeo et habere debeo et mihi competit et competere debet racione sponsalicii mei et obligationis uel alio aliquo modo uel iure ad omnes tuas uoluntates et tuorum perpetuo faciendas, nullo iure mihi et meis in premissis retento uel reseruato; et super hiis renuncio iuri ypotheche quod habeo in predictis racione sponsalicii mei uel alio modo, et ad maiorem cautelam predictorum iuro super sacrosancta .III. Dei Euangelia corporaliter tacta predicta omnia rata et firma habere et numquam contrauenire iure sponsalicii meuel alio modo.

Actum est hoc .III. nonas ianuarii anno Domini .MCC. quinquagesimo quinto.

Sig+num Petri Strucii, qui predicta propria manu firmare promisit et post firmamentum factum seu promissum ab hoc seculo transmigravit, et ideo pro eo ego Arnallus de Sancto Martina signo puncti firmo. Sig+num Guilielme, uxor dicti Petri Strucii, qui hoc firmo et laudo. Sig+num Petri de Scala, sig+num Guilielmi de Cantalupis, sig+num Arnalli Squeit de Briulfo, sig+num Bernardi Leonardi, testium.

(s. man.) Arnallus de Sancto Martina, qui hoc scripsit mandato Bernardi de Uicco, publici Gerunde notarii. Bemardus de Uicco, publicus Gerunde notarius, subscribo.

Extret de: Marquès, Josep M., ed. Col·lecció diplomàtica de Sant Daniel de Girona (924-1300). Barcelona: Fundació Noguera, 1997. 354-357